



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Annales Heremi Dei Parae Matris Monasterii In Helvetia Ordinis S. Benedicti**

**Hartmann, Christoph**

**Friburgi Brisgouiae, 1612**

Ioannes II. Ex Baronibvs Ab Hasenbvrgo Abbas Heremitarvm XXII. Et  
Princeps Imperii Qvintvs.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38545**



IOANNES II. EX BA-  
 RONIBVS AB HASEN-  
 BVRGO ABBAS HEREMITA-  
 RVM XXII. ET PRINCEPS  
 IMPERII QVINTVS.

**I**ACE inter Reges, & inducijs cum tribus Com-  
 munitatibus, quia maximè dissidijs, & conten-  
 tionibus Italia flagrabat, & id frequentibus nun-  
 cijs expetebant proceres Romani, relicto in Ger-  
 mania Friderico, Ludouicus in Italiam, Tridentino saltu, ex-  
 ercitus peditum triginta equitum quatuor millium duxit,  
 exeunte Februario anni Vicesimi septimi eius seculi. Vero-  
 nam primo, vbi ab Cane Scaligero magnificè acceptus, in-  
 de Comum tetendit. Hic ad 1 v. Idus Mal. substitit, fre-

A. D. M.

C I O . C C

C . X X V I I I

C c 3 quentesq;



quentesque Insubrum conuentu celebrauit. Eorum ductu Mediolanum delatus, Coronam cum Margarita coniuge accepit Kalend. Iunij, die festo pentecostes. Ibidem ciuitatum discordias, quantum licuit, pacauit. Multis verò aduersariorum querellis, & accusationibus compulsus in custodiam Galatium Vicecomitem tradidit, Gulielmum Comitem Montis fortis Mediolano Rectorem cum viginti quatuor nobilium senatu præesse iussit. Tertio Nonas Augusti Lucam versus perrexit. Mox pisas repugnantes expugnauit. Eius absentia, & quia longior futura putabatur, iterum, & mercimoniorum securitati, aduersus grassatores, & contra multorum nobilium tyrannidem, qui per præterita bella ciuilia omnem modestiam exuerant, fœdus aduersus quamcumque vim triennale multæ inter sese Ciuitates fecere Maguntiacum, Vormatia, Spira, Argentina, Basilea, Friburgum, Brisiacum, Solodorum, Constantia, Vberlinga, Lindaugia, Tigurum, Berna. Adsumtæ etiam ab his duabus postremis tres Communitates Vrania, Suitia, Siluania. Defunctus hoc quoque anno dux Henricus Austriacus, & in Campo regis iuxta Leopoldum fratrem sepultus. Ludouicus, numquam intermissis deinde itineribus, Romam peruenit, missisque, ad Ioannem pontif. Auenionem legatis, qui veniam anathematis & coronationem exorarent, omniaque boni, & Catholici principis officia pollicerentur, cum omnia pontifex respuisset, populo Romano, cleroque, qui aderat, petente, ab Stephano Columna Cardinali, auctoribus Serra Columna Urbis præfecto, Vrsino de Vrsinis, multisque alijs Romanæ nobilitatis primoribus, in Laterano Imper. coronatus est xvi. Kalend. Februarij anni sequentis. Conuersa hinc in odium pontificis reuerentia, suadentibus quoque, & consentientibus nonnullis episcopis, & Cardinalibus, tum verò & maxime P. R. petitione, & voluntate, quia toties in urbem accitus, aspernatus erat, contra Ioannem, Petrum de Cortaria Reatinum instituti D. Francisci monachum pontificem summum pronunciauit, qui Nicolaum se v. dixit, & ab eodem iterum Imperialia or-

namenta,

A. D. N.

CLX.  
CCC.  
XXVII.



namenta, Basilica S. Petri, omnium præsentium prope ad-  
fensu, & congratulatione suscepit, xi. Kalen. Iunij, festo die  
pentecostes. Petrus tamquam pontificem se gerens, plu-  
res Cardinales, Episcopos, Archiepiscopos in Italia, & Ger-  
mania creauit. At verò Ioannes his factis iritator multo gra-  
uioribus censuris Imperatorem adfecit, anathemata ante fa-  
cta non modo confirmauit in eum, sed aduersus illos omnes,  
qui ab eo faciebant, qui coronationi consenserant, qui Impe-  
ratorem salutarent. Omnibus denique Ecclesiastici ordinis  
inhibuit, ne vrbibus, locis, prouincijs eius Imperio, & vo-  
luntati subiectis sacra officia exsequerentur. Vnde tota Ger-  
mania præcipuè dissidia grauias & contentiones exitiabiles  
exortæ. Ludouicus, compositis vtcumque rebus vrbanis,  
versus Germaniam exercitum reduxit, cum Romanis pro-  
mississet se anno sequenti, rediturum, in quorum gratiam  
filium Romæ natum Ludouicum Romanum nominarat.  
Quarto idus Octobris Lucam, inde paucis diebus Pisas ad-  
uectus est. Anni vicefimi noni initium morte sua nobilita-  
uit Cæsar Fridericus. Obijt Viennæ, lenta febri, Idibus Ja-  
nuarij. Sepultus est Murbacensi Carthusianorum monaste-  
rio quod in saltu Viennensi ipse condiderat. Fratres duo, qui  
supererant, ita Dominia diuiserunt, vti Albertus Austriam,  
Stiriam, ceterasq; inferiores prouincias regeret: Otho superi-  
ora Germaniæ Elsatiam, Torgouiam, Argouiam, Brisgoui-  
am, Harciniam, & cetera Sueuiæ, cum Heremi aduocatio-  
ne. Otho continuò in suas prouincias profectus in Elsa-  
tia aliquamdiu hæsit, reliquam anni Badæ in Argouia con-  
sumsit. Eodem tempore, foedus in triennium produxerunt  
Rudolfi episcopus Constantiensis, & frater eius Vlricus co-  
mes Montis fortis Campi S. Petri dominus, vrbes Constania,  
Tigurum, Berna, Lindaugia, Vberlinga, Rauensburgum,  
opidum S. Galli, & Communitates Vrania, Suitia, Siluania,  
ijsdem, quibus ante, conditionibus, literis super ea re factis  
xviii. Kalend. Februarij. Ludouicus Pisis in Insubriam re-  
gressus, cum Azonem Vicecomitem in locum Galeatij, qui  
paulo antè obierat, Vicarium Imperij in Longobardia in-

A. D. N.

CII. CCC.

XXIX.



A. D. X.

CII.  
CCC.  
XXX.

stituisse, magna ab eo pecunia accepta, postremo mense Decembri ingrediente, iisdem Tridentinis vallibus, in Bauariam redijt. Paullò post Ioannem Bohemiæ regem in Italiam misit Gubernatorem, & Vicarium Imperialem, qui cū filio Carolo, qui post imperauit, prouinciæ multis annis præfuit. Anno tricesimo, exortum inter fratres Austriacos, & Ludouicum bellum. Causâ prætendebatur quòd pontificiæ se dignitatis adsertores fratres ferrent, nec Ioannis contemnenda decreta arbitrarentur. Quæ omnia in suam contumeliam dici spargique & rebelliones his modis foueri, & confirmari Ludouicus interpretatus, vindicanda armis censuit. Igitur, habitis Norinbergæ comitijs, Spiram abscessit, vt, Rheno aduerso, in Elsatiam, & ceteras Austriacorum prouincias exercitum duceret. Otho, id quod erat, se peti ratus, maximas, quàm potuit, copias confecit, & Bauaris obuiam processit, Colmariam, quæ deditiois spem per ciuiles discordias fecerat, dum hostes aduentarent, obsedit: Sed vbi de nouo bello ad Ioannem Bohemiæ regem nuncius allatus, maximis itineribus, se continuo ex Italia in Germaniam recepit, tantumque sua prudentia effecit, vt non solum in gratiam partes redirent, sed magnam quoque pecuniæ summam fratres Bauaro exhausto, & indigo pollicerentur mutuam. Pignori Austriacis tradidit opida Imperialia Tigurum, S. Gallum, Schaffhausiam, & Rhinfeldam. Tigurum postea ex priuilegijs exemptum, vti & S. Gallum, & in vtriusque vicem Brisiacum, & Neoburgum Rhenanæ vrbes suppositæ. Tigurini Ludouico, quod hætenus ob pontificis censuras recusarant, sacramentum dixere: Obierat iisdem diebus Verlinus, Vernerii Hombergæ domini filius vltimus ea parte eius stirpis, hereditatemque adierat Ioannes Comes Habsburgi, & Lauffenbergæ, nouæque Rapersvillæ Dominus patruus. In veteris Rapersvillæ Comitatu, Marchiam vocant, multa erant beneficia Monasteriorum sancti Galli, Fabariæ, Augiæ, potissima pars ad Heremitas pertinebat, & horum sibi, jam multis ante annis, vna cum Heremi aduocatione, possessionem vindicarat rex Albertus, & post

cum, Leo.



eum, Leopoldus dux filius, qui etiam, provinciali facto iudicio, euicerat, numquam tamen uiuentibus, & vigentibus Hombergensibus obtinere potuerat. Itaque, postquam esse desierunt, & successit Ioannes Habsburgiensis, non modo quæ pater, fraterque petierunt, impetrauit dux Otho, sed totum adeò veteris Raperfvillæ Comitatum, & Vvartenbergenses tres supra Basileam arces, quæ omnia subitò, arcibus exceptis, quas vsui suo retinuit, iure fiduciario, eidem Ioanni Habsburgiensi Otho reddidit, eorumque nomine obsequij, & fidei sacramentum ab illo accepit apud Pontem Arulæ, siue Brugopido, sabbatho post exaltationem sanctæ Crucis. Anno sequenti, Tigurinorum ad Ludouici partes transitionem secuta, alijs uti in urbibus, excommunicatio, & pulsus inde diuinorum officiorum ministri, sacerdotes, & monachi, exilium annos septemdecim tolerauere. Durabant adhuc Austriæ principibus cum Communitatibus tribus induciæ. Eæ, anno tricesimo secundo, rursus in bellum erupere, cum Lucernenses primo pacem cum dictis Communitatibus, mox & fœdus perpetuum inijsent, in seijs, & inconsultis Principibus ad quos pertinebant. Exceperant sanè Lucernenses omnia Austriacorum iura, & Dominia in se, & suos, sed sua absque voluntate, & consensu negabant Principes fœdus vllum, aut pacem cum quocumque, & quibuslibet conditionibus ferire subditis fas, esse. His de causis inceptum vtrinq; acre, & multis congressionibus cruentum bellum. Annus tricesimus tertius memorabilis fuit fœdere quod Principum iussu præfecti omnes Austriaci Argouia, Turgoiua, Sundgouia, Elfatia, Brisgouia, inierunt cum Comitibus Rudolfo Nidouienfi, Heinricho Furstenbergensi, Eberardo Kiburgiensi, urbibus Basilea, Tiguro, Cõstantia, S. Gallo, Berna Friburgo, Salodoro, de mutuo contra quoscumque, totum quinquennium, auxilio, neque imperio, neque Imperatore exceptis. Fine anni, multis eousque aduersariorum criminationibus, impeditam vnionem Ecclesiarum Salmensdorffi, & Milani tandem Rudolfus episcopus Constant. adprobauit, ab Clemente Pontifice ante annos tres, & viginti

*A. D. N.**CIO. CC  
C. XXXI.**A. D. N.**CIO.  
CCC.  
XXXII.**A. D. N.**CIO.  
CCC.  
XXXIII.*

gratiosè



gratiosè decretam, & liberaliter concessam. Literas eiusdem adprobationis, & vt vocabulo eiusmodi in rebus vsitato vtat, incorporationis dedit pridie kalend. Ianuar.

*A. D. N.*  
*CIX. CCC.*  
*XXXIV.*

Sed posteaquam eundem Rudolfum, vt ab principio neutralem, mox fauentem, denique, secretis nuncijs, nouas res moliri Ludouicus persensit, contra eum, anno sequenti, exercitum duxit. Mersburgum opidum, & arcem propter Acronium obsedit, Rudolfoque Hochbergensi per Sueuiam praefecto Imperiali bellum contra episcopum ducere imperauit. At verò Canonici cum sui episcopatus exscidium manifestum animaduertent, Rudolfum abdicare coegerunt, Nicolaumque II. à Kentzinge praefesse episcopatu iusserunt. Et hoc modo bello finis impositus. Curauerat idem Rudolfus episcopus, jam quadriennio, Ioannis pontificis sententia, & decreto, abbatiam S. Galli per monachorum in Abbatis electione post Hipoldi mortem contentiones, & discidium, alijs Vlicum ab Ende praepositum, ceteris Berchtoldum à Falckenstein, vtrumque Baronem, praepoantibus. Eo episcopali dignitate priuato, & simul monasterij curatione, tum rursus in electionem fratres descendissent, & neuter antedictorum alter alteri concedere animum induceret, tertium ab Heremo vocauere, Hermannumque Baronem à Bonstette tum Custodis officio fungentem, S. Galli abbatem nominauerunt. Functus est dignitate annos xxvi. menses v. Habebat eo quoque tempore Elisabetham sorororem Tiguri principali Sanctimonialium monasterio antistitam. Administrauerat pariter Rudolfus episcopatum Curientem cuius se Gubernatorem titulis praeferebat. Canonici exemplum S. Gallensium monachorum secuti, iisdem pene diebus, ex Heremo quoque Episcopum, post eiusdem Rudolphi abdicacionem, adsumere, Hermannum etiam nominatum ex Baronibus ab Eschibach suæ stirpis postremum. Dum hæc, diuersis locis fiunt, magno nostri monasterij honore & celebriate, in morbum Ioannes abbas incidit, quo xi. Kalend. Augusti, vt & vita defunctus est. Collegium, factum

de nouo



de nouo antistite consilio, Cunradum ex Baronibus à Goesgau abbatem nominarunt. Ita, ijsdem pene diebus, ex Heremitis vnus episcopus, abbates duo creati. Subidem tempus acri inter Austriacos, & Fœderatos bello cum omnia passim vasta per frequentes excursiones, prædas, & incendia haberentur, nihilque præsertim extra Lucernam tutum esset, & ciues omnia Austriacis debita pollicerentur, interuenere Comites Habsburgiensis, & Toggenburgensis, vrbesque Basilea, Berna, Tigurum, Constantia, quorum interuentu de pace, & inducijs agitatum, factoque inter partes compromisso, multis conditionibus, quibus præcipuè spondebant fœderati, omnia quæcum iure, & ab antiquo Monasterijs, quibus fuerant subditi, & annexi, & deinde Austriacis debeant, præstituros, manente inter eos fœdere induciastriennales pepigere. Anno exeunte pridie

Nonas scilicet Nonas Decembris obiit Auinione

Ioannes Pontifex, lectus pridie Idus

eiufdem mensis Bene-

dictus xii.



CVNRA-